BEATIS MANIBVS

VIRI

DOCTRINA, ET INTEGRITATE MORVM MAXIME CONSPICVI,

DOMINI

IACOBI HERDENII,

APVD THORVNIENSES PRIMO ADVOCATI DEXTERRIMI,

POST

SPECTAB. IVDIC. NOTARII MERITISSIMI,

AMICI SVI PERCARI,

CVM VIDVA MOESTA MARITO SAXEVM MONVMENTVM PONI CVRARET,

L. M. Q.

PARENTARE VOLVIT,

P. IAENICHIVS, Gym. R. & P. P.



THORUNII,

Impressit Joh. Nicolai, Nobiliss. Senat. & Gymnasii Typogr.

QVi nihil in vita dignum laude agunt, aut quo minus fama posteris queat commendari, sua ipsi vel improbitate vel inertia quodammodo impediunt, nae sapientissimo Conditori non faciunt satis, ipsamque humanitatem exuisse, & a natura bestiarum, quae vivunt, ut moriantur tantum, haud longe distare videntur. Contra Sapientes cupide semper elaborarunt, ut, dum in aeternum datus Spiritus est nemini, cum plausu discederent ex hoc vitae theatro. Palmarium enim hoc est prudentum, opitulari aliorum imbecillitati, utilitatique communi prodesse. Pro virtute autem merces est optima, recte factorum conscientia suo serviisse honori ac posteros copioso suorum meritorum fructu reliquisse locupletatos. Unde defunctis quasi Spiritus & vita redit, cum ipsorum vita in memoria posita est posterorum. Aliter plane, quod plurimis mirum poterat videri, persvasum fuisse accepimus Sapientissimo alioqvin Imperatori, Antonino, Stoicorum dogmatum haud infelici propagatori. Hic pro exigua admodum re habuit post fata morientium itidem hominum celebrari memoria & brevi, ut putabat, desitura, nominis immortalitate commendari. Nos monet cumprimis salutari lumine recreatos, religionis, qua imbuti sumus, sanctitas, incumbere in eam rem, ut omnia, quae molimur in vita & agimus, si non felicitatis magnae aut magnificentiae, rectitudinis saltem & constantiae laudem tueantur. Quo minus iam sui post mortem memoria sepeliatur oblivione, fecit quoque, neqvaquam tamen ambitiose, IACOBVS HERDENIVS, Vir doctrina, meritis & morum svavitate omnino celebratus. Hunc si sine fuco & umbris ad fallendum compositis fuisse diceremus, satis, ut opinor, eum hoc tempore laudavisse videremur. Sunt tamen multa alia, quorum virtute nomen eius conservatur. Tam enim praeclare egit vitae fabulam, ut a se dissentiret nunquam. Industriae, veritatis integritatisque suae testem praesertim esse voluit Thorunium, sive, quod maiorum exempla hic inveniret, quae aemularetur, sive, quod improbum duceret, ei loco non operam impendere, qui a fortuna dabatur satis opportunus. Cum Boianovae, in oppido maioris Poloniae Patre sub id tempus ibidem, mox magna cum laude Vratislaviae sacris operato, editus in lucem esset, A. cIↃ IↃcLXII, inter bona, quae prudens pater concipiebat non vane, omina adolevit. Incaluit nativo quodam calore indoles egregia, unde vires sensit postea & fervorem per omnem vitam, ut tanto minus segnior in agendi proposito deprehenderetur. Educatus Vratislaviae, in cultissima Silesiorum urbe, cui nihil denegatum a fortuna, quod ad copiam, decus atque splendorem pertinet, ubi vitae cultum artiumque ingenuarum fundamenta ab exquisitissimis docendi magistris accepit. Duxit hic spiritum, cuius vi illa facilitas fundendi versus est ingenerata. Namque sub illo coelo, cuius benignitate tot inclytos Vates & Germanæ poeseos statores in Silesia nasci videmus, non simili impetu animi, vel ut Democritus vocat, furore, rapi, dedecori sibi fore noster putabat. Prolusit deinde insecuturae olim fortunae cupiditas salutandi Thorunium, ubi Gymnasii doctoribus traditus, fide pari & diligentia in cultura bonarum artium est versatus. Qvam studiorum viam ingressus absolvere feliciter coepit, suscepto adeundi Academiam consilio quae Regium montem ornat. Robur magis a bonitate animi, quam corporis viribus tum colligebatur, nondum enim octavum decimum impleverat annum, cum in Academiam veniret Praeterlapso biennio in Saxoniam contendit, & Vitembergae summos in Iuris doctrina habuit duces, quales audire non minor felicitas quam utilitas esse solet. Hic tres annos, Lipsiae per dimidium commoratus, in patriam remigravit tandemque Thorunium, ubi fortunae sedem invenit. Accommodata iam foro vita, in controversiis civilibus, defendendisque Clientibus fidem & diligentiam approbavit, & consilii inopes tutatus est ac patricinio ornavit. Cuiusmodi demum laus vera eorum est, qui in foro disceptant, nec rixosa dicacitate Iudices circumvenire tentant, & detortis iustitiae regulis intervertere sententias rectiores. Rabularum hoc cacoethes est, ut recte Saxoniae Papinianus existimat, Zieglerus, quorum petulantia lingvae propter foedum abusum iustius compunctione acuum, muliebrium instrumentorum vindicanda, quam facundia olim Ciceronis, summi inter Romanos Viri. Rudium sic est, strepitu & incondito forum implere clamore, vacuumque sine prudentia edere sonum. At quanto noster iuris scientia erat in-

structior

structior, quantoque melior, tanto magis valebat usu, aliarum quoque doctrinarum praesidio non destitutus. Inprimis autem nativa quadam & propemodum incredibili propensione ad illam divinam fingendi artem trahebatur, quae quidem, si negligitur ab erudito, tam parum eius nocere potest existimationi, qvam ei lucro est, qui in ea tantummodo consenescere cupit. Temperat ille dulcis verborum lusus alioqui severiores curas, ornatque, qui recto eidem studio incumbit. Nec abhorruerunt ab his deliciis graves interdum viri, & nostri sigillatim maiores principe loco Bardis Druidisque id negotii dederunt, ut tanquam Vates & omina facerent de futuris rerum eventis, & gestas Heroum res complecterentur carmine ac decantarent. Noster in hac fingendi arte excelluit non vulgariter, nec invenuste in sua lingua lusit, & ad nativam sermonis elegantiam inprimis verborum concentum componere laboravit. Quod aliter plane minus germanos versificatores facere videmus, qui, dum elumbes sine sensu consuunt rhythmos &, interpolato verborum ac circuitionum nexu miseros consarcinant centones, eandem, si non graviorem censuram multorum sententia merentur, quam illi, qui circa vocum moras in alia lingua peccant. Germanum enim esse, & sua non recte uti discere lingva, indignum esse videtur. Cujusmodi inepta modulatio non minus de svavitate Germanicae derogat lingvae ac Graecae illa secundum accentuum s. apicum notas literarum fastigio adscriptas vocum pronunciatio, quam recens usus contra verae antiquitatis auctoritatem velut tyrannide quadam iniunxit. Venustior longe rhythmorum & aptior rerum collocatio in carminibus apparet, quae nostrum habent auctorem. In quibus etsi non ubique subtilis sensuum sublimitas, facilitas tamen nativa cum varietate sententiarum verborumque delectu pugnare quodammodo videtur. Iocis interdum indulsit, Poetarum in morem, quantum tamen scio, nunquam scurriliter aut inverecunde. Quae meditationum iucunditas eum effecit, ut nihil morosi, nihilque asperi in illo esset, sed, quo facilius Vatem nosceres, laeta omnia, polita & ad animi tranquillitatem composita. Commodum videtur hic, quantam inierit gratiam apud Pot. Pruss. Regem, docere, cum illi assumtum feliciter regium in Prussia Characterem carmine quodam gratularetur. Temeritatis argui minus potest, quanto clementius Rex sapientissimus aureo nummo sat magni ponderis Vatis pietatem est remuneratus. Hoc magis venit is aestimandus, quod memoriam conservat illius Societatis ad amplificandas maiori conatu scientias exemplo gloriae plenissimo Berolini institutae: nostrum sine dubio excitaturus, ut acriori studio in pangendis versibus vires ingenii periclitaretur. Ceterum his modo commoratis fingendi deliciis, quibus satiebat animum, non se avocari passus est ab aliis negotiis, quae vel muneris ratio imponebat vel pietatis cultus. DEO servire & patronis, amicis, clientibusque operam commodare, non tam grave & laboriosum ipsi erat, quam facile & iucundum. Nihil autem tam difficile, quam depravati in morem seculi blandiri & assentiri subdole, aliumque se fingere, qui non erat. Mira semper animi bonitas eluxit, etiam cum indignandi esset locus. Hac lenitate superavit vitae molestias, consvetas virtutis hostes, ipsique, quod alios affligere solet, ad bene merendum, occasionem praebebat. Talem cum tueretur personam in foro, in vita, non alius in domo & matrimonio fuit, quod satis fortunatum erat, in hoc tamen aliorum felicitati cedit, qvod ex triplici, quam ex ANNA ELISABETHA SEIDELIA, honesta femina suscepit, prole unicum tantum reliquit filium superstitem, contra metum orbitatis aut defectum familiae HERDENIANAE. His ut speramus feret iam luctu conturbatis & optimo in terris auxilio destitutis, opem Deus, quod ut fiat, etiam precamur. Tandem necesse est, ut, quae de morbo ac morte Beati constant, exponamus, quae ita se habent. Ineunte vere Anni cIↃ IↃccX gravi morbo tentari valetudo coepta est, qui fatalis omnibus videbatur. Plagam hanc sibi venire a Deo putabat recte, & in cogitatione coelestium defixus, ultima, quae deprecari nemo hic potest, pio animo expectabat. Praeter tamen opinionem eiecta per molestas, quas tussis vehemens exciebat, vomitiones ingenti humoris corrupti copia gilvi coloris & in spadiceum fere abeuntis malum remisit. Infestabat nihilominus quotidie corpus perpetuus quidam languor, mora magis, quam remediis, pellendus. At invasit eum eodem anno ipsa aestate velut per insidias pestilens quidam ac febrilis ardor, ex

quo,

quo, prostratis confestim viribus, & eludente remedia malo, haud potuit eluctari. Quare communi, qui nemini parcit, mortalium hosti, post dies tres, ex quo decumbere coepit, die nimirum XXXI Augusti, victas manus, invicto nihilosecius animo dare est coactus. Sit ire vices nostras & labi non videt amplius, inter coelites, in aeterna tranquillitatis sede collocatus. Quodsi is, qui bene vixit, satis longe in orbe vixit, satis nostro laudis accedit, cum longiori vita dignus omnium bonorum iudicio censeatur, ut non temere Terentianum illud de eo dicatur.

Nae illiusmodi iam magna nobis civium
Penuria est. Antiqua homo virtute ac fide
Haud cito male quid ortum ex hoc sit publice.

Ne autem incelebrior Beatus aliorum versibus, quam suis esset, fecit magni Patroni summa in ipsum benevolentia. Illius cum hic sensit cultum in vita, sic huius in iam mortuum amor perspici ex hoc epigrammate licet:

Cur fugis, Herdeni, lepidas Heliconis alumnas
Cur legere Aonios non iuvat usque libros?
Nam Maro serpentes, hydras descriptor amorum
Gorgoneumque caput Naso Poeta gerit.
Coelicus urget amor, mundi procul arceo amorem,
Qui fovet aurato dira aconita scypho.

Lapidi, quem vidua in memoriam mariti curavit poni, haec, quae leguntur, inscripta inveniuntur:

D. O. M. S.
QVI HAEC LEGIS
SCITO HIC CONDI
IACOBVM HERDENIUM
SPECT. IVD. NOT.
VIRVM PROBVM ET DOCTVM
QVI OPERA FORENSI ET IN IVDICIIS
FACILITATE FVNDENDI VERSVS
MVLTOS SIBI DEVINXIT
PLVRIMOS ANTIQVO ANIMI CANDORE
PIETATE COELVM
CVIVS IAM CIVIS EST
TV QVIETEM PRECARE CORPORI
ET COGITA
IPSVM EXPECTARE VITAM
TE MORTEM VALE
MOESTA VIDVA
ET FILIVS
H. M. P. C.

NAT. BOIANOV. d. XIII. Octobr. A. CIↃ IↃCLXII

DENAT. THOR. d. XXXI AVG. CIↃ IↃCCX.